

famuli: Amice ad quid venisti? Respondit ei dicens: Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici^a domini pape, quia manus paupertatis tetigit me. Clamaverunt omnes dicentes: Vade, paupertas tua tecum sit in perditionem. Non introibis in gaudium domini pape, donec reddideris usque ad novissimum quadrantem. Et non potuit introire ad dominum papam, quia pauper erat. Set ostiarii venientes et percucientes^b eum dicentes: Vade retro Sathanas, quia non sapis ea que sapiunt^b nummi. Abiit autem clericus ille et vendidit capam et tunicam et omnia que habuit et dedit ostiariis. Dixerunt ostiarii: Et quid hoc est inter tantos? Et eiecerunt eum foras. Tunc venit ad curiam quidam clericus simoniacus, incrassatus, inpingatus^b, dilatatus, qui per seditionem fecerat omicidium et erat hic dives valde. Cardinales hoc audientes clamabant voce magna dicentes: Osana benedictus, qui venit in nomine auri et argenti. Clericus ille apertis thesauris suis dedit peccuniam maximam ostiariis, postea cardinalibus munera preciosa vestes speciosasque, mulos et^c mulas, equos et equas. Camerarii et cancellarii arbitrati sunt, quod plus essent accepturi, et dixerunt ei: Amice, ascende superius, quia exaudita est peticio tua usque ad tertium celum. Tunc autem clericus volens iustificare se ipsum, dedit unicuique X talenta. Audiens hoc dominus papa infirmatus est usque ad mortem. Transiens^d autem clericus ille primam et secundam custodiam venit ad portam ferream, que non ultro aperta est ei, nam papa infirmabatur. Audiens hoc clericus ille quod infirmabatur, misit ei duo electuaria, scilicet aurum et argentum, aurum ad purgandum, argentum ad mitigandum. Et cum tetigerit, scilicet aurum et argentum, statimque sanus factus est homo ille. At ait illi: Lucerna pedibus meis aurum tuum et lumen semitis meis. Et surgens dedit gloriam auro et osculatus est eum dicens: Amice mi, bene venisti. Cardinales clamaverunt: Vere homo iste iustus est, quodcumque pecierit in nomine nostro, fiat illi. Tunc papa sedens pro tribunali in loco cupiditatis dicebat cardinalibus: Beati divites, quoniam vaccui^b non erunt. Beati qui esuriunt et siciunt peccuniam, quoniam ipsorum est curia Romana. Ve homini illi, qui non habet; expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo eius et demergatur in profundum maris. Videte ne quis vos seducat. Quicum-

a) Folgt 'mei' getilgt Hs. b) So Hs. c) Ueber der Zeile Hs.
d) 'Transsiens' Hs.